

reclamare : si vero post quinquennium dubitat, tenetur manere, neque potest per viam restitutionis in integrum reclamare. Hyacint. Donatus, loc. cit. q. 9, et alii apud ipsum. Ratio est, quia in dubio recurrendum est ad præsumptionem : hæc autem ante quinquennium stat pro novitio, post quinquennium vero pro religione, arg. *Concil. Trident.* sess. 25. de Regular. cap. XIX.

213. *Ratificari potest professio tacite, et expresse.* — Quæritur VI. An, et quomodo professionem ratificare possit, aut debeat nulliter professus? et quæ requirantur ad validam ratificationem? Resp. I. Nulliter professus potest professionem suam *tacite*, et *expresse* ratificare, nisi habeat perpetuum impedimentum. Quod possit *expresse*, tenent omnes, et communiter supponitur in jure. Quod etiam *tacite* possit, docent Sanchez, lib. VII, cap. I, n. 4; Layman, lib. IV, tract. V, cap. v, n. 9; Pirhing, h. t. n. 149. atque supponit Roderiquez, tom. III, q. 17, a. 3. et communis aliorum, arg. c. 1. de *His quæ vi.* Ratio est, quia plus non requiritur ad professionem primitus valide emittendam, quam ad eam ratificandam; atqui professio primitus *tacite* fieri potest, ergo etiam *tacite* ratificari poterit. Modus autem, quo *tacite* ratificatur, idem est, quo primitus *tacite* emitti potest, de quo vide supra n. 177.

214. *Habens occultum impedimentum nunquam potest ratificari.* — Dicitur notanter « nisi habeat perpetuum impedimentum : » quia talis nunquam ratificare potest professionem, sed vel reclamare, vel occulte discedere semper tenetur, prout bene docet Hyacint. Donatus, tom. II, tract. XII, q. 10.

215. *Ad hoc, ut ratificatio valeat, debet ratificans scire professionem suam primo emissam fuisse nullam. Ignorantis nullus est consensus.* — Resp. II. Ad validam ratificationem professionis requiritur, ut ratificans sciat, se prius invalide fuisse professum. Navarrus, lib. III. h. t. consil. 5, n. 15 et 28. item consil. 39, n. 4, et pluribus aliis in locis. Sanchez, de *Matrim.* lib. VII, disp. 37, n. 59; Pelliz. tom. III, tract. III, cap. v, n. 57; Layman, loc. cit. n. 9; Pirhing, h. t. n. 149. et communis aliorum. Ratio est, quia sicut ad emittendam, ita ad ratificandam professionem juxta omnes requiritur consensus et voluntas profitentis; atqui ignorantis nullus est consensus, cum incogniti nulla voluntas; nec aliquid magis contrarium sit consensui, quam error, l. *Si per*

errorem. 15. ff. de *Jurisdic. omnium judic.* ibi : « Quid enim tam contrarium consensu est, quam error. »

216. Infertur, quod etiamsi ab initio nulliter professus, professionem suam juxta laudabilem religiosorum consuetudinem sæpe renovet et ratificet *expresse*, vel *tacite*, portando habitum religiosorum, vel actus eisdem proprios exercendo, etiam cum animo se obligandi, ac *tacite* profitendi, tamen semper adhuc etiam post decem, vel plures annos via extraordinaria restitutionis in integrum juxta dicta n. 204. reclamare, vel cessante scandali periculo, tuta conscientia discedere, ac nubere valeat, si hos actus fecit ignorans, quod professio prima fuerit invalida, nisi talis ratificans *expresse* apud se statuatur, quod velit modo professionem valide ratificare, etsi ab initio fuisset invalida prout bene limitant Pelliz. loc. cit., Pirhing, h. t. et alii. Ex quo nonnulli in revocatione professionis laudabilissime addunt, « etiamsi ab initio ex quacunque causa invalide professus essem. »

217. *Consensus novus religionis ad ratificationem professionis non requiritur, si fuit solum nulla ex defectu consensus in profitente.* — Quæritur VII. An ad valorem ratificationis requiratur novus consensus et acceptatio illius, cujus est suscipere ad professionem? consequenter, an necesse sit, ut eidem etiam prius manifestetur, et notum fiat, professionem primam fuisse invalidam? cum juxta dicta n. 215. « ignorantis nullus sit consensus. » Resp. I. Si professio ab initio fuit invalida solummodo ex defectu profitentis novitii, cæteroquin ad professionem habilis; v. g. quia fide tantum, et absque animo se obligandi professus est, vel ex gravi metu injuste ab extrinseco incusso professionem emisit, non est necessarius novus consensus et acceptatio illius, qui potest suscipere. Roderiquez, tom. IV. *Quest. regular.*, q. 17, a. 3; Sanchez, lib. VII, de *Matrim.* disp. 37, n. 60; Pelliz. tom. I, tract. III, cap. I, n. 43; Navarrus, lib. III, h. t. consil. 27, n. 4, et consil. 28, n. 3. et alii. Ratio est, tum quia consensus potentis recipere aliquando legitime præstitus, censetur adhuc perseverare, si non fuit revocatus; uti argumentatur Navarrus; tum quia matrimonium ob solam defectam consensus, in uno nullum, ratificatur, et validatur per solum consensum illius, qui prius non habuit : nec est necessarius novus con-

sensus alterius conjugis, uti cum communiore, et probabiliore aliorum bene docet Sanchez, de *Matrim.* lib. II, disp. 32, n. 9, atqui a matrimonio carnali valet argumentum ad matrimonium spirituale, juxta dicta superius, et communem aliorum; ergo confirmatur argumentis pro conclusione n. 219. ponenda afferendis.

218. Infertur, talem, qui fide tantum, vel ex gravi metu injuste incusso, consequenter præcise ex defectu sufficientis consensus proprii, nulliter professus est, professionem sufficienter ratificare, si eandem in secreto et privato coram Deo ratificet, seu renovet; nec opus esse, ut quidquam superiori, vel aliis de hoc dicat.

219. *Neque requiritur, si ex alia causa fuit nulla.* — Resp. II. Omnino probabilis, ac in conscientia securâ sententia est dicens, etiam tunc ad ratificationem professionis non requiri novum consensum, vel acceptationem potentis suscipere, si professio non ex defectu consensus in profitente, sed ex defectu alterius necessario requisiti, v. g. quia profitens nondum habuit 16 annos, vel non fuit integro, aut non continuo anno in novitiatu, etc. dummodo ille vel illi, quorum est suscipere, prius revera consenserunt. Navarrus, loc. cit.; Barbosa, in *Concil. Trident.* statim citandum, n. 16; Sanchez, loc. cit. n. 64. quamvis contrariam sententiam judicet probabiliorem, ac tutiorem, Pirhing, h. t. n. 49; Roderiquez, in *Summa*, Sorbo, et alii. Probatur efficaciter ex concilio Tridentino, sess. 25. de *Regular.* cap. XIX. ubi post quinquennium nulli amplius conceditur contra professionem reclamare, ex quacunque dein causa nulliter quis sit professus; eo quod juxta omnes præsumitur, talem interea vel *expresse*, vel per actus professis proprios saltem *tacite* ratificasse professionem; ergo hoc ipso manifeste indicat, ad validam ratificationem sufficere solum consensum profitentis; cum, uti supponitur, et adversarii concedunt, superiores, vel ii, quibus est ad religionem suscipere, in hujusmodi casu intra, et post quinquennium sæpe penitus ignorent professionem fuisse irritam, consequenter novum consensum, vel acceptationem non præstent.

220. *Probatur ex declaratione cardinalium.* — Probatur ulterius ex declaratione cardinalium sacri concilii Tridentini interpretum edita 29 martii 1598. illis verbis : « Sacra Congregatio concilii censuit, quod professio

expressa fuerit nulla : ex quo tamen post expletum annum probationis permansit in habitu regulari per duos vel tres annos, censi tacitam fuisse professionem, et dici professum. » ubi ut vides, sacra Congregatio penitus nullam mentionem facit de novo consensu, vel acceptatione superiorum, nec ullo modo eum requirit, sed ex sola portatione habitus professorum tacitam professionem præsumit, consequenter solum consensum profitentis, absque ullo consensu superiorum religionis, sufficere declarat.

221. *Probatur clausula rescriptorum.* — Confirmatur ex clausula rescriptorum, quæ in curia dari solent illis, qui post quinquennium contra professionem ex quacunque causa nullam reclamantes restituuntur in integrum, casu quo nullitatem prius ignorarunt, vel intra quinquennium reclamare impediti fuerunt, juxta dicta n. 204. Hujusmodi enim rescriptis, teste Hyacint. Donato, tom. II, tract. XII, q. 14. semper inseritur clausula : « Dummodo professionem tacite, vel expresse non ratificaverit : » ponendo siquidem hanc clausulam manifeste indicat pontifex, professionem per solum profitentem absque ulla nova acceptatione, vel consensu superiorum valide ratificari posse, cum, uti supponitur, superiores ignorent, professionem fuisse invalidam, consequenter novum consensum in tali casu non præstent.

222. *Probatur ratione.* — Ratio autem conclusionis est : quia consensus superiorum aliquando revera datus perseverat, donec revocetur, consequenter renovatione ejusdem opus non est. Nec dicas, consensum superioris in casibus conclusionis datum pro tunc inefficacem, ac invalidum esse; quia profitens tunc ad profitendum inhabilis erat, consequenter novo opus esse. Nam contra est; quod licet consensus fuerit inefficax, et invalidus illo tempore, quo sine requisitis professio fuit emissâ, nihilominus, quia idem consensus semper adhuc perseveravit, utpote nunquam revocatus, uti supponitur, incæpit efficax et validus esse pro illo tempore, quo habitis omnibus requisitis professionem ratificavit religiosus : sicut juxta adversarios ipsos, ob perseverantiam superiorum consensus ad ratificandam professionem prius ex defectu consensus profitentis irritam absque novo eorumdem superiorum consensu, vel acceptatione censetur sufficere, non obstante, quod primitus datus

fuerit ad professionem inefficax, utpote datus illi, qui sine proprio consensu, consequenter nulliter est professus.

223. *Papa supplet etiam consensum religionis.* — Accedit, quod etsi dato, non concesso, consensus superioris in casibus conclusionis non amplius perseveraret, consequenter nullus haberetur superiorum consensus, tamen ratificatio sine novo consensu et acceptatione illorum valida foret; quia Papa utpote supremus praelatus omnium ordinum potest talem consensum supplere, et actu supplere censetur, hoc ipso, quod omnem professionem irritam etiam absque novo consensu et acceptatione superiorum, sufficienter et valide ratificare posse, dicat, et declaret juxta dicta n. 219. et seqq. Et ob hæc fundamenta, sententia nostra sane videtur etiam probabilior, et in conscientia omnino tuta, quamvis contraria sit tutior.

224. *Doctrina practica pro ratificantibus professionem.* — Infertur, etiam in casibus conclusionis posse nulliter professum, professionem suam modo n. 218. dicto ratificare: quamvis tutius faciat, si rem indicet superiori, ab eoque novum consensum petat; nisi forsitan timeat, superiores casu audito, revocatos prius datum, et negaturos novum consensum, consequenter eum in periculo ejectionis esse: talibus enim in circumstantiis melius erit, si nihil dicat, vel antequam dicat prius ipse vel solus, vel (quod securius adhuc est) in præsentia duorum fidelium ratificet, factaque ratificatione, primum pro majori securitate novum consensum et acceptationem sollicitet; tunc enim in utroque foro erit securus; etsi consensus novus negetur, eo quod juxta dicta de stylo curiæ non requiratur.

225. Illud etiam cum unanimi notandum, in ratificatione professionis nullatenus necessarium esse, ut consuetæ repetantur cæremonia: tum quia non sunt de substantia: tum quia plerumque absque nota reiterari nequeunt. Quod si tamen cum præscitu et novo consensu superioris professio ratificetur, bonum erit si superior duos saltem testes adhibeat ad probandum contra profitemem, casu quo aliquando contra professionem vellet reclamare. Pariter juxta communem non est necesse, ut fiat repetitio novitiatus, Pelliz. tom. I, tract. III, cap. v, q. 20; Sanchez, loc. cit. a. n. 25. Ratio est, quia novitiatus ex hac sola ratione requiritur, ut novitiatus religionem, et hæc novitiatus

probet, c. *Ad apostolicam*. 16. h. t. atqui hoc fieri et factum jam censetur in casu, quo professio rite finito probationis anno, ex aliqua causa fuit nulla; ergo.

§ VIII.

DE POTESTATE EJICIENDI RELIGIOSOS PROFESSOS, UBI ETIAM DE IPSIS EJECTIS: ITEM DE FUGITIVIS, ET APOSTATIS, EORUMQUE OBLIGATIONE.

226. *Legitima de causa possunt religiosi professi ejici. Qui aliis scandalo sunt, separari debent.* — Quæritur I. An, et ob quas causas, quando, et quinam religiosi jam professi ex ordine ejici possint? Resp. I. Certum est, posse religiosos etiam professos legitima de causa ex ordine expelli. Ita hodie unanimis contra quosdam antiquos citatos a Miranda, tom. I. q. 52. a. 4. Patetque clare ex jure antiquo, et novo, ut can. *Resecandæ*. 16. cau. 24. q. 3. ibi: « Resecandæ sunt putridæ carnes, et scabiosa ovis a caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est. » Concordat can. *Illud sane*. 34. ead. cau. et q. ubi etiam ratio subjungitur, videlicet, « ut his, quibus prodesse non potuit correctio, non parcat abscissio. Oportet enim nos Evangelici meminisse mandati, quo ab ipsa Veritate præcipitur, ut si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizaverit manus, a compage corporis auferatur, etc. » et infra: « Abjicienda prorsus pestifera hæc a sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcat; » et c. fin. *de Statu monach.* dicitur: « Ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat sanas oves. » Concordat c. *Relatum*. 7. *Ne cleric. vel monachi.* ibi: Vel si restiterint ausu temerario eis ejectis, etc. Confirmatur conclusio ex multiplicibus privilegiis religionum, et repetitis declarationibus cardinalium. Ratio jam est insinuata; cui accedit, quod bonum commune religionis præponi debeat bono privato ejecti.

227. *Hodie non nisi incorrigibilis ejici potest. Et quis sit incorrigibilis?* — Resp. II. Quamvis olim ob varias causas ab ordine expelli potuerit professus, quarum aliquas allegat, et adhuc subsistere, minus recte supponere vi-

detur Pirhing, h. t. n. 195. tamen hodie nullus ejici potest, nisi sit vere incorrigibilis, adeoque hodie nulla alia, quam incorrigibilitas sufficiens et legitima causa est valide professum ejiciendi. Caret hodie controversa ob novum decretum sacre Congregationis cardinalium sacri concilii Tridentini interpretum, jussu Urbani VIII. emanatum 21 septembris 1624, quod incipit: *sacra congregatio*, et reperitur in tom. IV. *Bullar. Cherub.* constit. 28. dicti Pontificis ubi § 6. ita statuitur: « Ut in posterum a religionibus nullus legitime professus ejici possit, nisi sit vere incorrigibilis. Vere autem incorrigibilis (subjungitur ibidem) minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis, et constitutionibus cujuscunque religionis, et ordinis etiam a Sede apostolica approbatis et confirmatis: verum etiam unius anni spatio in jejuniis et patientia probetur in carceribus; proinde religio habeat privatos carceres in qualibet saltem provincia. »

228. *De jure communi incorrigibilis ad præsens non est; nisi quis committat crimen grave.* — Ut autem de jure communi quis dicatur incorrigibilis in ordine ad ejectionem, ordinariæ plura requiruntur. Et quidem I. Ut delictum sit grave. Omnes. Ratio patet, quia pœna debet esse proportionata culpæ vel delicto, arg. c. fin. *de Statu monach.* atqui ejectio est gravis pœna, ergo etiam delictum, ob quod infligitur, debet esse grave, v. g. homicidium, perjurium, furtum, arg. c. *Cum non ab homine*. 14. *de Sentent. excomm.* Proprietas, c. *Cum ad monasterium, de Statu monach.* et alia similia, præsertim illa, ob quæ leges et statuta imponunt pœnas mortis naturalis aut civilis, perpetui carceris, aut triumremium, ut declaravit Pius V. apud Hyacinth. Donatum, tom. I. tract. VIII, q. 6; Clarus, in *Practic. crimin.* § 1. n. 9; Portel. in *Dubiis regular.* §. *Ejicere ab Ordine* in *Addit.* n. 1. Hyacinth. Donatus, loc. cit. et alii communiter, qui etiam notant, quod an grave sit crimen, necne, debeat sæpe relinqui arbitrio judicium.

229. *Publicum tam patribus quam sæcularibus.* — II. Requiritur, ut delictum sit publicum, non solum inter fratres, sed etiam sæculares, ita ut sine infamiæ nota retineri in ordine facile non possit. Divus Bonaventura in *quest. super Regula fract. minor.* q. 14; Portell., loc. cit. n. 1. et seqq.; Miranda,

t. I., q. 52, a. 2; Pirhing, h. t. n. 195; Roderiquez, tom. I. q. 30, a. 14. et seqq.; Sanchez, lib. VI. *Moral.* cap. ix, n. 4, et 5. Rationem dat divus Bonaventura, « ut evitetur scandalum, et ne, si ejiciatur ob occulta delicta, videatur injuste ejectus, aut ejus peccatum propaleatur injuste quod utrumque illicitum est. » Hinc præstat, ut communiter delictum ejectione dignum, occultum tamen, perpetuo incarcerationetur potius, quam ejiciatur, saltem si timetur, ne sua præsentia alios inficiat, per jura n. 226. citata.

230. *Et prius ter sit correctus; vel condonatum crimen.* — III. Requiritur, quod prius ter fuerit correctus, admonitus, et punitus, ut bene probat Hyacinth. Donatus, loc. cit. q. 10 arg. c. *Contingit.* il. 2. *de Sentent. excomm.* et c. *Cum non ab homine. de Judiciis.* Idem docet Sanchez, lib. VI. *Moral.* cap. ix. n. 4; Pirhing, loc. cit.: Pelliz. tom. II, tract. VIII, cap. viii. n. 2; Portell. in *Dub. regular.* §. *Ejicere.* n. 1. verb. 2, nota cum communi. Rationem dat Portel. quia alias ad præsens vere non diceretur incorrigibilis, cum incorrigibilitas et pertinacia consistat in resistentia post distinctas objurgationes; nec ex una sola resistentia satis colligi possit incorrigibilitas, utpote quæ ex nomine non denotat unum crimen, nec continuationem criminum, sed dicit respectum ad correctionem, vel punitionem ter contemptam. Accedit, quod ejectio æquiparetur privationi beneficii ob delicta, cum religio in suo sensu sit etiam professorum beneficium, ad cujus titulum ordinantur; atqui clericus ob delictum ab homine privari non potest beneficio, nisi bis aut ter admonitus, arg. c. *Ex tua*. 11. et ibi Glossa *de Cleric. non resident.* ergo. Notat autem Peyr. apud Dona., loc. cit. dici incorrigibilem non tantum illum, qui ter fuit convictus, correctus et punitus, sed etiam cui crimina toties fuere remissa, condonata, aut dissimulata spe emendationis. Nec refert, an delicta repetantur eadem, vel committantur alia æque gravia vel graviora. Sanchez, loc. cit. n. 4. Abbas, in c. *Cum non ab homine. de Jud.* et alii, arg. c. *Ut famæ de sentent. Excomm.* ibi: « Ad similia, vel pejora. »

231. *Atque per annum fuerit incarcerationatus in pane et aqua.* — IV. Ex novissimo decreto Urbani VIII. supra n. 227. citato, necesse est, ut prius « unius anni spatio in jejuniis et pœnitentia probetur in carceribus, » sunt formalia decreti.

232. *Et ex solo, quod quis fugiat e carcere,*